1532. d. 17. Junij

Sigismundus primus Rex Poloniae Ferdinando Regi Romanorum Hungariae.

Serenissime Princeps etc.

Cum generosus Smyl Cuna de Cunstad per publicam fidem datam istuc ad maiestatem vestram Serenissimam se conferebat, supplicavit nobis ut illum maiestati vestrae Commendaremus, confidens se apud illam Commendatione nostra in gratiam restitui posse, quem quoniam, nos scimus nobili et honesta familia esse, per idque tempus, quo hic in Regno nostro fuit tranquille et quiete se in omnibus gessisse, negare illi intercessionem nostram non potuimus quare Commendamus illum Maiestati vestrae Serenissimae et simul rogamus, ut condonata illi culpa qua adversus illam excesserat, in gratiam suam restituere dignetur, factura maiestas vestra Serenissima rem ex nobis gratam et sua Regia Pietate dignam etc. Datt Cracoviae die 17 Junij anno Domini 1532. Regni nostri anno 26.

147